

dum a Constantio Cæsare Constantini Augusti filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc et nunc in æternum confitemur esse damnatam. Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri numero octo, apocryphum esse scimus; Actus nomine Andreæ apostoli apocryphi; Actus nomine Thomæ apostoli, libri numero decem apocryphi; Actus nomine Petri apostoli, apocryphi; Actus nomine Philippi apostoli, apocryphi; Thaddæi, apocryphi; Evangelium nomine Matthæi apostoli, apocryphum; Evangelium nomine Barnabæ, apocryphi; Evangelium nomine Jacobi Minoris, apocryph.; Evangelium nomine Petri apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Bartbolomæi apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Andreæ apostoli, apocryph.; Evangelium nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apocryph.; Evangelia quæ falsavit Lucianus, apocryph.; liber de Infantia Salvatoris, apocryph.; liber de Nativitate Salvatoris, et de Maria et obstetrice, apocryphus; liber qui appellatur Pastoris, apocryphus; libri omnes quos fecit Seleucius discipulus diaboli, apocryph.; liber qui appellatur Fundamentum, apocryphus; liber qui appellatur Thesaurus, apocryphus; liber de Filiabus Adæ geneseos, apocryphus; Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum; liber qui appellatur Theclæ et Pauli, apocryphus; liber qui appellatur Nepotis, apocryphus; liber Proverbiorum qui ab hæreticis conscriptus, et sancti Xisti nomine prænotatus est, apocryphus; revelatio quæ appellatur Pauli apostoli, apocrypha; revelatio quæ appellatur Thomæ apostoli, apocrypha, revelatio quæ appellatur Stephani, apocrypha; revelatio quæ appellatur Transitus, id est, assumptio sanctæ Mariæ, apocrypha; liber qui appellatur Pœnitentia Adæ apocryphus; liber de Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluvium pugnasse perhibetur, apocryphus; liber qui appellatur Testamentum Job, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus; liber qui appellatur Pœnitentia Jammis et Mambæ, apocryphus; liber qui appellatur Sortes apostolorum, apocryphus; liber qui appellatur Laus apostolorum, apocryphus;

A liber qui appellatur Canones apostolorum apocryphus; liber Physiologus, qui ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine signatus, apocryphus; historia Eusebii Pamphili, apocrypha; opuscula Tertulliani, apocrypha; opuscula Lactantii, apocrypha, opuscula Africani, apocrypha; opuscula Postumiani et Galli, apocrypha; opuscula Montani et Priscillæ, et Maximillæ, apocrypha; opuscula omnia Fausti Manichæi, apocrypha; opuscula Commodiani, apocrypha; opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha; opuscula Taitii Cypriani, apocrypha; opuscula Arnobii, apocrypha; opuscula Tyconii, apocrypha; opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, apocrypha; opuscula Victorini Pictaviensis, apocrypha; opuscula Fausti egiensis Galliarum, apocrypha; opuscula Frumenti cæci, apocrypha; epistola Jesu ad Abagarum, apocrypha; epistola Abagari ad Jesum apocrypha; passio Quirici et Julittæ, apocrypha; passio Georgii, apocrypha; scriptura quæ appellatur Contradictio Salamonis, apocrypha; phylacteria omnia, quæ non angelorum, ut illi confingunt, sed dæmonum magis arte conscripta sunt, apocryph.; hæc et his similia quæ Simon Magus; Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus etiam Samosatenus, Photinus et Bonosus, qui et simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus Africanus, Arius, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Cœlestius, Donatus, Eustathius Jovinianus, Pelagius Julianus Celanensis, Cœlestinus. Maximinus, Priscillianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus Cynicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, et alius Petrus, e quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam maculavit; Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis; nec non et omnes hæretici eorumque discipuli, sive schismatici, docuerunt, vel conscripserunt, quorum nomina minime retinentur non solum repudiata, sed etiam ab omni sancta catholica et apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorumque sequacibus sub anathematis insolubili vinculo in æternum confitemur esse damnata.

## ATTONIS

VERCELLENSIS EPISCOPI

### DE PRESSURIS ECCLESIASTICIS.

#### LIBELLUS.

(Apud Acherium, Spicilegii tomo I, p. 414.)

##### PARS PRIMA.

*De judiciis episcoporum.*

Evangelica nobis narrat historia, quod cum

D Dominus discipulos suos docturus relicta turba montem ascendisset, ibique postquam eos de omnibus præceptis, quibus Christiana religio informari